

Sancti Petri abbatem, ut de ista causa darent nobis audiencie locum; quod et fecerunt semel in eadem villa quæ dicitur Ursivillaris, et iterum in villa quæ dicitur Castanetas. Discussa itaque ex ultraque parte controversia, invenimus partem monachorum ita scriptura et testibus et longa vestitura suffultam, ut nulla Christianorum lege posset supradicta ecclesia ab eorum possessione auferri. Unde, contra ius atque nefas contendere nolentes, ego videlicet Odolricus episcopus, et frater meus Isembardus, et prædictus Hilduinus cum filiis et ceteris propinquis suis, ex toto gurpivimus inceptam calumniam monachis Sancti Petri, avenientes ut solide et quiete possident ecclesiam suam Ursivillaris in perpetuum, si-
cūt justum esse comperimus. Interdixi etiam episco-
pali auctoritate mihi a Deo tradita ne quis successo-
rum nostrorum prædictos monachos Sancti Petri per

A būyusmodi sacrilegam calumniam ulterius inquie-
tet. Quod si pertinaciter odiosæ calumniæ inhærente maluerit, illo quo Deus iratus incorrigibiles da-
mnat anathemate seriat. Fiat fiat. Nos vero, qui calumniam supradictam gurpivimus, nomina nostra nostrorumque fidelium qui præsentes aderant, in præsenti chartula, memorie causa, fecimus adno-
tari.

S. Odolrici, Aurelianensis episcopi. S. Fulberti Carnotensis episcopi. S. Alberti abbatis. S. Isen-
bardi laici. S. Ersredi clerici. S. Salonis clerici.
S. Bononis, decani Sancti Martini Turonensis. S. Tess-
celini clerici. S. Tedoini clerici. S. Alberici. S. Hil-
duini laici, S. Hilduini filii ejus. S. Odolrici filii ejus.
S. Pontelini nepotis ejus. S. Godefridi laici. S. Adrol-
di vicecomitis. S. Friderici fr. laici. S. Hugonis Ra-
dordi. S. Gualoi laici.

LAUS VITÆ MONASTICÆ.

(Apud R. P. Sirmund., Opp. *Godoſr. Vindocin.*, not. ad lib. II.)

Felix grex hominum, qui, Christi dogma sequentes,
Contemplatis opibus, nil proprium retinent;
Unius arbitrio quos regula sancta coeret,
Qnorum quisque suo nil agit ex libito.
Cor quibus est unum, quibus indiscreta voluntas,
Par cunctis habitus et cibus est similis.
Sic tamen ut capiat quo quisque videtur egere,
Ætas ut fragilis debilitasve jubet.
Luxus abest omnis, peccandi rara facultas,
Cuncti cunctorum eum timeant oculos.
Lex communis habet visas mox prodere culpas,
Ut nascens vitium pœna sequens resecet.
Desidiam fugiunt, labor utilis occupat omnes.
Noxia torpentes ne subeant animos.
Confusum nihil est, ubi sunt ordine cuncta,
Curatur totum, negligiturque nihil.
Nec solum vita, sed constat et ordo loquendi:
Dispensant æque maxima cum minimis,
Non nisi præscripto quisquam loquiturve siletve,
Stat, sedet, incedit ordine quisque suo.
Ecclesiæ linen noctesque diesque frequentant,
Et sanctis precibus seque suosque juvant.
Quid inoror, et verbis evolvere singula lento?
Quidquid agunt, opus est corporis aut animæ.
Quid quod sic habitant, ut sit sacer ipse domorum
Et situs et numerus, sufficiensque sibi?
Quadratam speciem structura domestica præfert.

Discursum monachis, vitam dant, et stationem;
Qua velut in caulis contingantur oves.
Quarum prima domus servat potumque cibumque,
Ex quibus hos reficit juncta secunda domus.
Tertia membra sovet vexata labore diurno,
C Quarta Dei laudes assidue resonat.
Plurima prætero simili condigna relatu,
Sed breviter dicam, nil superest, vel abest.
Hos igitur proceres, hunc dignum laude senatum,
Exiguum specie, moribus eximium,
Comparo formicis, quarum studiosa laborum
Turmula convectat corpore majus onus.
Quæ ne non possint communem ducere vitam,
Isdem sub laribus horrea parva locant.
Comparo divinis apibus, quæ corpore parvo
Ingentes animas egregiasque gerunt:
Hexagonis cellis quæ mella liquentia condunt,
Utile mirificum quæ fabricantur opus.
Quæ disciplinam, quæ jura domestica servant.
Quasque simul reficit ingeniosa domus.
D Comparo sideribus, quibus aula superna resulget,
Aera quæ sursum noctibus irradiant.
Quæ semel impositam servant per sæcula legem,
Quæ solitos cursus et numeros peragunt.
Comparo gyranti solemniter omnia cœlo:
Insuper angelicis comparo spiritibus,
Qui semper SANCTUS triplicata voce resultant,